

Ama & perfecta fidelium, sacrosancta synodus Constantiensis, cōmuni utilitate pensata, de speciali & expresso consensu & uoluntate concordī sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalium, in eadem synodo personaliter existentium & collegi eorundem accōmum nationum præsentis concilii, ordinat, statuit & decernit, quod hac uice duntaxat ad eligendum Romanum & summum pontificem, unā cum cardinalibus sex prælati uel aliæ honorabiles personæ ecclesiasticæ in sacris ordinibus constitutæ de qualibet natione in eadem synodo pro tunc existentes, quos seu quas qualibet ipsarum nationum pro se ad hoc infra decem dies duxerit eligendas, ipsi cardinalibus adiungantur. Quibus omnibus eadem synodus eligendi Romanum pontificem secundum formam hic expressam (quatenus opus est) tribuit potestatem, uidelicet quod ille absque ulla exceptione ab uniuersali ecclesiā Romana pontifex habeatur, qui à duobus partibus cardinalium in conclauē existentium, & à cuiuscumque nationis duabus partibus eisdem cardinalibus adiungendorum & tunc adiunctorum, electus fuerit & receptus, quodq; non ualeat electio, nec electus pro summo pontifice habeatur, nisi duæ partes cum cardinalibus ad eligendum adiungendorum & tunc adiunctorum, consentiant & consenserint in Romano pontifice eligendum. Statuit insuper, ordinat & decernit, quod uota quorumcunque in electione huiusmodi emitenda, sint nulla nisi (ut præmittitur) duæ partes cardinalium & duæ partes cuiuscumque nationis adiungendorum & tunc adiunctorum prædictorum, præsentialiter seu per accessionem in unum concurrant. Hoc etiam adiecto, quod prælati & alij cum cardinalibus ipsis ad electionem huiusmodi adiungendi & tunc adiuncti, omnes & singulas cōstitutiones apostolicas etiam penales, circa electionem Romani pontificis editas, atque consuetudines obseruari consuetas, quemadmodum ipsi cardinales obseruare teneantur, & ad illorum obseruantiam astringantur. Teneantur insuper iurare, & iurent dicti electores & cardinales & alij antequam ad electionem procedant, quod in huiusmodi electionis negotio attendant, quod eis imminet (cum de creatione agitur uicarij IESV CHRISTI, successoris beati Petri, uniuersalis rectoris ecclesiæ, gregis dominici directoris) puris & synceris mentibus (& quantum credant publicæ utilitati uniuersalis ecclesiæ proficere) omni cuiuscumque nationis personæ uel alio inordinato affectu, odio, gratia uel fauore abiectis procedant, ut eorum ministerio de utili & idoneo uniuersali ecclesiæ pastore provideatur. Ordinat insuper, statuit & decernit eadem sancta synodus, quod infra decem dies ex nunc continue numerandos, quos decem dies omnibus & singulis sanctæ Romanæ ecclesiæ cardinalibus præsentibus & absentibus & cæteris electoribus supradictis, attenta Romanæ ecclesiæ notoria uacatione, ad intrandum conclauē in hac ciuitate Constantiensis in maiori domo communis eiusdem ciuitatis ad hoc iam ordinata, præfigit & assignat, præfati electores, cardinales & alij supradicti intrent ipsum conclauē ad electionem huiusmodi celebrandam, cæteraq; faciendum, obseruandum & prosequendum, quemadmodum in cæteris, præter præmissa de cardinalibus & alijs in electione Romani pontificis iura statuunt & decernunt, quæ omnia, præmissis obseruatis, uult eadem sancta synodus in suo robore permanere. Hanc autem formam & hunc modum electionis approbat, ordinat, statuit, & decernit pro hac uice, & ad omnē scrupulum submouendum eadem sancta synodus omnes & singulos in eadem synodo præsentibus & uenturos, qui eidem synodo adhærebunt, ad omnes actus legitimos in eadem synodo agendos, actiue & passiue (quatenus opus est) habilitat & habiles esse declarat, cæteris eiusdem concilii decretis semper saluis, supplens omnes defectus (si qui forsan interuenerint) in præmissis, apostolicis etiam & generalibus concilijs editis, & alijs constitutionibus non obstantibus quibuscunque. Quibus decretis sic lectis, dominus Ioannes episcopus Ostiensis cardinalis huiusmodi sessionis prædictæ, ipsius synodi nomine respondit, placet.

SESSIO QVADRAGESIMA PRIMA.

kkk iij Die